

aliorum neruorum origines. Quo fit interdum, vt singultu grauiori laborantes toto corpore vehementius contremiscant & conuellantur *i*). Pulmonibus praecipue tenerioribus nocet singultus grauior & crebrius pectus commouens, atque adeo viscus illud nimis distendens. Praeterea sanguinis motum concitat, calefacit igitur, ac tandem, vt omnis motus muscularis vehementior solet, defatigat, viresque vitae atterit atque consumit.

§. VII.

Singultum absolui inuita & vehementiori contractione septi transuersi, antea a nobis dictum est. Cuiuscunque autem partis muscularis inuita contractio tunc fit, quotiescunque aut ipse musculus, aut eius neruus irritatur, aut encephalon vehementius commouetur, siue immediate, siue mediate, dum scilicet alii nerui, quacunque de causa, vsque adeo male afficiuntur, vt tandem ob arctiorem nexum, qui inter neruorum origines in medulla est, ad sensorium commune, idque vel totum, vel maximam eius partem, similis quaedam affectio transeat, ab eodemque ita mutato aut plurius, aut pauciorum, imo vero aliquando fere omnium musculorum nerui commoti, ad quos pertinent, musculos motu conuulsiuo agitent exerceantque. Quodsi igitur musculorum quorundam aut partium muscularium nerui in primo suo ortu vicini sunt; alterutro ex iis affecto, alterius

B 2

muscu.

i) vid. *Tim. a GÜLDENKLEE Oper. Lib. III. Cap. V.*